



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

**Parisiis, 1644**

Svscriptiones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15490**

etiam sub nomine & auctoritate Concilii, præterquam nostra, de qua per literas nostras, vt supra præmittitur, super hoc conficiendas constet, a quibus communiter vel diuifim, cuiuscumque status, gradus, præminentia & conditionis existant, etiam si cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali & episcopali dignitate præfulgeant, scienter, vel ignoranter forsitan contigerit attentari. Ordinationibus, statutis, constitutionibus, decretis, declarationibus quauis auctoritate, etiam sub nomine generalis Concilii factis, & aliis in contrarium facientibus, etiam si talia forent, de quibus esset habenda etiam de verbo ad verbum mentio specialis; quibus omnibus auctoritate, potestatis plenitudine, consilio & assensu similibus, & præmissis necessariis, & urgentibus causis supradictis derogamus, & derogatum esse apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus, ceterisque in contrarium quomodolibet facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre assumptionis, nominationis, assignationis, deputationis, translationis, declarationis voluntatis, constitutionis, mandati, præcepti, citationis, requisitionis, monitionis, dationis, concessionis, inhibitionis & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Bononiæ anno incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo septimo, quartodecimo Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno septimo.

## S V B S C R I P T I O N E S.

Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

*Adiutor & protector meus es tu Domine, ne derelinquas  
me Deus meus.*

Ego Branda episcopus Portuensis subscripsi.

Ego Iordanus episcopus Sabinensis subscripsi.

Ego \* Angelus tituli sancti Marci presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Franciscus tituli sancti Clementis presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Antonius tituli sancti Marcelli presbyter cardinalis subscripsi.

\* Ange-  
lottus

ANNO  
CHRISTI  
1438.

Ego Nicolaus tituli sanctæ crucis presbyter cardinalis subscripsi.  
Ego Prosper sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis  
subscripsi.  
Ego Dominicus sanctæ Mariæ in Via lata diaconus cardinalis  
subscripsi.

DECLARATIO TRANSLATIONIS Num. XIV.

CONCILII BASILEENSIS, ET INDICTIO

Concilii Ferrariensis.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam  
rei memoriam.*

**P**RIDEM ex iustis & rationabilibus ac vrgentissimis  
causis ad multa inconuenientia in Dei ecclesia im-  
minentia pericula submouenda, præsertim scissuræ &  
diuisionis grauissimæ, nec non impedimenti futuræ san-  
ctæ vnionis occidentalis & orientalis ecclesiæ, animum  
nostrum digne mouentibus, quartodecimo Kalendas  
Octobris proxime præteriti de venerabilium fratrum  
nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium con-  
silio & assensu, plurimis etiam adhibitis venerabilibus  
fratribus & dilectis filiis archiepiscopis, episcopis, ele-  
ctis, abbatibus, aliisque prælatis in nostra curia exi-  
stentibus, idem consulentibus atque laudantibus, ciui-  
tatem Ferrariensem pro celebrando Concilio etiam œ-  
cumenico ex tunc assumpsimus, nominauimus, & etiam  
deputauimus, ad eamque ciuitatem Basileense Conci-  
lium, ad omnes & singulos effectus, pro quibus Basileæ  
fuerat congregatum, & ex tunc transtulimus, & transla-  
tum esse declarauimus. Si & in quantum in dicto Basile-  
ensi Concilio existentes perseuerarent in suo obstinato  
proposito, vigore cuiusdam prætensi monitorii, seu cita-  
torii procedendo, aut aliam nouitatem contra nos & ve-  
nerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ ecclesiæ cardi-  
nales præfatos, vel præfidentes, aut oratores nostros, qui  
in dicto Concilio fuerunt, faciendo, vel a die dicti citato-  
rii factam continuando, vel seruando, prout in nostris lite-  
ris super idem confectis plenius continetur. Sperantes ex  
hac nostra conditionali prouisione, veluti in eorum Basile-  
æ existentium mera libertate reposita, ipsos a tam peri-  
culosis nouitatibus facilliter abstinere debere.

H iij